

non putare hoc verum, at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.
 ego deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror
 960 quod voluptates eorum propriae sunt ; nam mi immortalitas
 partast, si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit. 5

sed quem ego mihi potissimum optem, nunc quom haec
 narrem, dari ?

CH. quid illud gaudist ? *PA.* Davom video. nemo
 quem malle omnium ;

nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.

965 *DA.* Pamphilus ubinam hic est ? *PA.* Dave. *DA.* quis V. vi
 homost ? *PA.* ego sum. *DA.* o Pamphile.

PA. nescis quid mi obtigerit. *DA.* certe ; sed quid mihi
 obtigerit scio.

PA. et quidem ego. *DA.* more hominum evenit ut quod
 sim nactus mali

priu' rescisceres tu quam ego illud quod tibi evenit boni

PA. Glycerium mea suos parentis repperit. *DA.* factum 5
 bene. *CH.* hem.

970 *PA.* pater amicu' summu' nobis. *DA.* quis ? *PA.*
 Chremes. *DA.* narras probe.

PA. nec mora ullast quin eam uxorem ducam. *CH.* num
 illic somniat

ea quae vigilans voluit ? *PA.* tum de puero, Dave . .
DA. ah desine !

solus est quem diligant di. *CH.* salvo' sum si haec vera
 sunt.